tate. sed uiuit ex uirtute dei. Nam et nos infirmi sumus in illo. sed uiuemus cum eo ex uirtute dei in uobis. Vos met ipsos temptate. si estis in fide. ipsi uos probate. An non cognoscitis uos met ipsos. quia christus iesus in uobis est. nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi. Oramus autem deum ut nichil mali faciatis. non ut nos probati pareamus. Nos autem ut reprobi simus. Non enim possumus aliquid aduersus ueritatem. sed pro ueritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus. uos autem potentes estis. Hoc et oramus uestram consummationem. Ideo enim hec absens scribo. ut non presens durius agam. secundum potestatem quam dominus dedit michi in edificationem. et non in destructionem. De cetero fratres gaudete. perfecti estote. exhortamini. idem sapite. pacem habete. et deus dilectionis erit uobiscum. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant uos omnes sancti. Gratia domini nostri iesu christi. et caritas dei. et communicatio sancti spiritus cum omnibus uobis. Amen.

sed ut uos quod bonum est faciatis

et pacis

Galathe sunt greci. Hi uerbum ueritatis primum ab apostolo susceperunt. sed post discessum eius temptati sunt a falsis apostolis. ut in legem et circumcisionem uerterentur. Hos apostolus reuocat ad fidem ueritatis. scribens eis ab epheso.

scripta a macedonia

PAULUS apostolus non ab hominibus neque per hominem. sed per iesum christum et deum patrem qui suscitauit eum a mortuis. et qui mecum sunt omnes fratres ecclesiis galatie. Gratia uobis et pax a deo patre et domino nostro iesu christo. qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris. ut eriperet nos de presenti seculo nequam. secundum uoluntatem dei et patris nostri. cui est gloria in secula seculorum. Amen. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui uos uocauit in gratiam christi in aliud euangelium. quod non est aliud. nisi sunt aliqui qui uos conturbant. et uolunt conuertere euangelium christi. Sed licet nos aut angelus de celo euangelizet uobis preter quam quod euangelizauimus uobis. anathema sit. sicut predixi. et modo iterum dico. si quis uobis euangelizauerit preter id quod accepistis. anathema sit. Modo enim hominibus suadeo. an deo. aut quero hominibus placere. Si adhuc hominibus placerem. christi seruus non essem. Notum enim uobis facio euangelium fratres. quod euangelizatum est a me. quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud. neque didici. sed per reuelationem iesu christi. Audistis enim conuersationem meam aliquando in iudaismo. quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei. et expugnabam illam. et proficiebam in iudaismo supra multos coetaneos in genere meo. abundantius emulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei qui me segregauit ex utero matris mee. et uocauit per gratiam suam. ut reuelaret filium suum in me. ut euangelizarem illum in gentibus. Continuo non acquieui carni et sanguini. neque ueni ierosolimam ad antecessores meos apostolos. sed abii in arabiam. et iterum reuersus sum damascum.

Deinde post annos tres ueni ierosolimam uidere petrum. et mansi apud eum diebus. xv. Alium autem apostolorum uidi neminem. nisi iacobum fratrem domini. Que autem scribo uobis. ecce coram deo quia non mentior. Deinde ueni in partes syrie et cilicie. Eram autem ignotus facie ecclesiis iudee que erant in christo. Tantum autem auditum habebant. quoniam qui persequebatur nos aliquando. nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat. et in me clarificabant deum. Deinde post annos. xiiii. iterum ascendi ierosolimam cum barnaba. assumpto et tito. Ascendi autem secundum reuelationem. et contuli cum illis euangelium quod predico in gentibus. seorsum autem his qui uidebantur esse aliquid. ne forte in uacuum currerem aut cucurrissem. Sed neque titus qui mecum erat cum esset gentilis. compulsus est circumcidi. sed propter subintroductos falsos fratres. qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in christo iesu. ut nos in seruitutem redigerent. quibus neque ad horam cessimus subiectioni. ut ueritas euangelii permaneat apud uos. Ab his autem qui uidebantur esse aliquid. quales aliquando fuerint nichil mea interest. deus personam hominis non accipit. Michi autem qui uidebantur esse aliquid nichil contulerunt. Sed e contra cum uidissent quod creditum est michi euangelium preputii. sicut et petro circumcisionis. Qui enim operatus est petro in apostolatum circumcisionis. operatus est et michi inter gentes. et cum cognouissent gratiam que data est michi. iacobus et cephas et iohannes. qui uidebantur columpne esse. dextras dederunt michi et barnabe societatis. ut nos in gentes. ipsi autem in circumcisionem. tantum ut pauperum memores essemus. Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Cum autem uenisset petrus antiochiam. in faciem ei restiti. quia reprehensibilis erat. Prius enim quam uenirent quidam ab iacobo cum gentibus edebat. Cum autem uenissent subtrahebat et segregabat se. timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri iudei. ita ut et barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum uidissem quod non recte ambularent ad ueritatem euangelii. dixi cephe coram omnibus. Si tu cum iudeus sis gentiliter et non iudaice uiuis. quomodo gentes cogis iudaizare. Nos natura iudei et non ex gentibus peccatores. Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis. nisi per fidem iesu christi. et nos in christo iesu credimus. ut iustificemur ex fide christi. et non ex operibus legis. propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quod si querentes iustificari in christo. inuenti sumus et ipsi peccatores. numquid christus peccati minister est. Absit. Si enim que destruxi. iterum hec reedifico. preuaricatorem me constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum. ut deo uiuam. christo con

fixus cruci. Vivo autem iam non ego. vivit vero in me
Christus. Quod autem nunc vivo in carne. in fide vivo filii
dei. qui dilexit me. et tradidit semetipsum
pro me. Non abicio gratiam dei. Si enim per legem iustitia
ergo Christus gratis mortuus est.
III O insensati galathe. quis vos fascinavit
veritati non obedire. ante quorum oculos Iesus Christus pro
scriptus est. et in vobis crucifixus. Hoc solum volo a vo
bis discere. Ex operibus legis spiritum accepistis. an ex au
ditu fidei. Sic stulti estis. ut cum spiritu ceperitis nunc
carne consummamini. Tanta passi estis sine causa.
si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis spiritum. et opera
tur virtutes in vobis. ex operibus legis. an ex auditu
fidei. Sicut abraham credidit deo. et reputatum
est ei ad iustitiam. Cognoscite ergo quia qui ex
fide sunt. hii filii sunt habrahe. Providens
autem scriptura. quia iustificat ex fide gentes deus.
prenuntiavit abrahe. quia benedicentur omnes gentes in te.
Igitur qui ex fide sunt. benedicentur cum fideli ab
raham. Quicumque enim ex legis operibus sunt. sub maledicto
sunt. Scriptum est enim. Maledictus omnis qui non per
manserit in omnibus que scripta sunt in libro legis
ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iustifica
tur apud deum. manifestum est quia iustus ex fi
de vivit. Lex autem non est ex fide. sed qui fecerit ea vive
t in illis. Christus nos redemit de maledicto legis.
factus pro nobis maledictum. Maledictus omnis qui pen
det in ligno. ut in gentibus benedictio fieret in Christo Iesu.
ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Fratres secundum ho
minem dico. Tamen hominis confirmatum testamentum nemo
spernit aut superordinat. Habrahe dicte sunt
promissiones. et semini eius. Non dicit et seminibus
quasi in multis. sed quasi in uno. et semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico
testamentum confirmatum a deo. que post quadringentos et triginta annos
facta est lex. non irritum facit ad evacuandam
promissionem. Nam si ex lege hereditas. iam non ex pro
missione. Abrahe autem per repromissionem dona
vit deus. Quid igitur lex. propter transgressionem posita est. do
nec veniret semen cui promiserat ordinata per an
gelos in manu mediatoris. Mediator autem
unius non est. Deus autem unus est. Lex ergo adversus promis
sa dei. Absit. Si enim data esset lex. que posset vivifi
care. vere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura
omnia sub peccato. ut promissio ex fide Iesu Christi daretur
credentibus. Prius autem quam veniret fides sub le
ge custodiebamur conclusi. in eam fidem que revela
nda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo. ut
ex fide iustificemur. At ubi venit fides iam non su
mus sub pedagogo. Omnes enim filii dei estis per fidem in
Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis. Christum in
duistis. Non est iudeus. neque grecus. non est servus
neque liber. Non est masculus neque femina. Omnes enim vos
unum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi. ergo habrahe
semen estis. secundum promissionem heredes.
IIII Dico autem. Quanto tempore heres parvulus est. nihil
differt a servo cum sit dominus omnium. Sed sub tuto
ribus et actoribus est. usque ad prefinitum tempus a patre.
Ita et nos cum essemus parvuli. sub elementis mundi
eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis
misit deus filium suum natum ex muliere. factum sub
lege. ut eos qui sub lege erant redimeret.
ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis
filii dei. misit deus spiritum filii sui in corda vestra cla
mantem abba pater. Itaque iam non est servus sed filius.
Quod si filius. et heres per deum. Sed tunc quidem
ignorantes deum. hiis qui natura non sunt dii servi
ebatis. Nunc autem cum cognoveritis deum. immo co
gniti sitis a deo. quomodo convertimini iterum ad in
firma et egena elementa. quibus denuo servire
vultis. Dies observatis et menses. et tempora et annos.
Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis.
Estote sicut ego. quia et ego sicut vos. Fratres
obsecro vos. nichil me lesistis. Scitis autem quia per
infirmitatem carnis. evangelizavi vobis iam
pridem. et temptationem vestram in carne mea non sp
revistis. neque respuistis. sed sicut angelum dei excepi
stis me. sicut Christum Iesum. Ubi est ergo beatitudo vestra.
Testimonium enim perhibeo vobis. quia si fieri posset
oculos vestros eruissetis. et dedissetis mihi. Ergo ini
micus vobis factus sum. verum dicens vobis. Emulan
tur vos non bene. sed excludere vos volunt. ut illos
emulemini. Bonum autem emulamini in bono
semper. et non tantum cum presens sum apud vos. Filioli mei
quos iterum parturio. donec formetur Christus in vobis.
Vellem autem esse apud vos modo. et mutare vocem
meam. quoniam confundor in vobis. Dicite michi qui sub
lege vultis esse. legem non legistis. Scriptum est
enim quoniam Abraham duos filios habuit. unum
de ancilla. et unum de libera. Sed qui de ancilla secundum
carnem natus est. Qui autem de libera per repromissionem
que sunt per allegoriam dicta. Hec autem sunt
duo testamenta. Unum quidem in monte Syna in ser
vitutem generans. que est agar. Syna enim mons
est in arabia. qui coniunctus est ei que nunc est
Ierusalem. et servit cum filiis suis. Illa autem que sur
sum est Ierusalem libera est que est mater nostra. Scriptum est
enim. Letare sterilis que non paris. erumpe et
clama que non parturis. quia multi filii deserte
magis quam eius que habet virum. Nos autem fratres secundum
Ysaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is
qui secundum carnem natus fuerat. persequebatur eum qui
secundum spiritum. ita et nunc. Sed quid dicit scriptura.
Eice ancillam et filium eius. Non enim heres erit fi
lius ancille cum filio libere. Itaque fratres non sumus an
cille filii sed libere: Qua libertate Christus nos liberavit.
State et nolite iterum iugo servitutis contineri.
Ecce ego paulus dico vobis.
Quoniam si circumcidamini. Christus vobis nichil proderit.
Testificor autem rursum omni homini circumcidenti se
quoniam debitor est universe legis faciende. Evacua
ti estis a Christo. qui in lege iustificamini. A
gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iu
stitie expectamus. Nam in Christo Iesu neque circum
cisio aliquid valet neque preputium. sed fides que

per dilectionem operatur. Currebatis bene. quis vos
impedivit veritati non obedire? Nemini consenseritis.
Persuasio hec non est ex eo qui vocat vos. Modicum
fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in vobis
in domino. quod nichil aliud sapietis. Qui autem conturbat
vos. portabit iudicium quicumque est ille. Ego autem
fratres. si adhuc circumcisionem predico. quid adhuc per-
secutionem patior? Ergo evacuatum est scanda-
lum crucis. Utinam et abscidantur qui vos con-
turbant. Vos enim in libertatem vocati estis fratres.
tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.
sed per caritatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex
in uno sermone impletur. Diliges proximum tuum
sicut te ipsum. Quod si invicem mordetis et come-
ditis. videte ne ab invicem consumamini. Dico
autem. spiritu ambulate. et desideria carnis non per-
ficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum. spiritus
autem adversus carnem. Hec enim sibi invicem adversan-
tur. ut non quecumque vultis illa faciatis. Quod si
spiritu ducimini non estis sub lege. Manifesta autem
sunt opera carnis. Que sunt fornicatio. in-
mundicia. impudicitia. luxuria. idolorum ser-
vitus. veneficia. inimicitie. contentiones. e-
mulationes. ire. rixe. dissensiones. secte. in-
vidie. homicidia. ebrietates. comessationes. et hiis
similia. que predico vobis sicut predixi. quoniam qui talia
agunt regnum dei non consequentur. Fructus autem
spiritus est caritas. gaudium. pax. pacientia. longanim-
itas. bonitas. benignitas. mansuetudo.
fides. modestia. continentia. castitas. Adversus
huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi. carnem suam cruci-
fixerunt cum viciis et concupiscentiis.
VI Si spiritu vivimus. spiritu et ambulemus. Non effi-
ciamur inanis glorie cupidi invicem provo-
cantes. invicem invidentes. Fratres et si preoccupatus
fuerit homo in aliquo delicto. vos qui spirituales estis
huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. considerans te ipsum
ne et tu tempteris. Alter alterius onera portate. et
sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existi-
mat se aliquid esse cum nichil sit ipse se seducit.
Opus autem suum probet unusquisque. et sic in semet ipso
gloriam tantum habebit. et non in altero. Unusquisque enim ho-
nus suum portabit. Communicet autem is qui cathezi-
zatur verbo. ei qui se cathezizat in omnibus bonis.
Nolite errare deus non irridetur. Que enim se-
minaverit homo hec et metet. Quoniam qui seminat
in carne sua. de carne et metet corruptionem.
Qui autem seminat in spiritu. de spiritu metet vitam e-
ternam. Bonum autem facientes non deficiamus.
tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum
tempus habemus operemur bonum ad omnes. maxime autem ad
scripsi vobis. domesticos fidei. Videte qualibus litteris me-
a manu. Quicumque enim volunt placere in car-
ne. hii cogunt vos circumcidi tantum. ut cru-
cis Christi persecutionem non paciantur. Neque enim qui
circumciduntur legem custodiunt. sed volunt vos
circumcidi. ut in carne vestra glorientur. Michi

autem absit gloriari. nisi in cruce domini nostri Ihesu
Christi. per quem michi mundus crucifixus est. et ego
mundo. In Christo enim Ihesu. neque circumcisio aliquid
valet neque preputium. sed nova creatura. Et quicumque
hanc regulam secuti fuerint. pax super illos. et
misericordia. et super Israel dei. De cetero nemo michi mole-
stus sit. Ego enim stigmata domini Ihesu in corpore
meo porto. Gratia domini nostri Ihesu Christi cum spiritu vestro fratres.
Amen.

Ephesii sunt Asiani. Hii accepto verbo veri-
tatis. perstiterunt in fide. Hos collaudat apostolus
scribens eis a Roma de carcere per Tychicum diaconum.

Paulus I
apostolus Christi Ihesu per voluntatem
dei sanctis omnibus qui sunt E-
phesi. et fidelibus in Christo Ihesu.
Gratia vobis et pax a deo patre
nostro. et domino Ihesu Christo. Bene-
dictus deus et pater domini nostri Ihesu Christi. qui benedixit nos
in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo. Sicut
elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.
ut essemus sancti et inmaculati in conspectu eius in
caritate. Qui predestinavit nos in adoptionem
filiorum per Ihesum Christum in ipsum. secundum propositum volun-
tatis sue. in laudem glorie gratie sue. in qua gra-
tificavit nos in dilecto filio suo. In quo habemus
redemptionem per sanguinem eius remissionem pecca-
torum. secundum divitias gratie eius. que superhabundavit
in nobis in omni sapientia et prudentia. ut no-
tum faceret nobis sacramentum voluntatis sue
secundum bonum beneplacitum eius. quod proposuit in eo in dis-
pensatione plenitudinis temporum. instaurare omnia
in Christo. que in celis et que in terra sunt in ipso.
In quo et nos sorte vocati sumus. predestinati
secundum propositum eius. qui omnia operatur secundum consilium volun-
tatis sue. ut simus in laudem glorie eius. nos qui an-
te speravimus in Christo. In quo et vos cum audisse-
tis verbum veritatis. evangelium salutis vestre.
In quo et credentes signati estis spiritu
promissionis sancto. qui est pignus hereditatis nostre
in redemptionem acquisitionis in laudem glorie
ipsius. Propterea et ego audiens fidem vestram que
est in domino Ihesu. et dilectionem in omnes sanctos. non ce-
sso gratias agens pro vobis. memoriam vestri faciens
in orationibus meis. ut deus domini nostri Ihesu Christi pater
glorie det vobis spiritum sapientie et revelationis in
agnitione eius. illuminatos oculos
cordis vestri. ut sciatis que sit spes vocationis
eius. et que divitie glorie hereditatis eius in sanctis. et
que sit supereminens magnitudo virtutis
eius in nos. qui credimus secundum operationem poten-
tie virtutis eius quam operatus est in Christo. suscitans
illum a mortuis. et constituens ad dexteram
suam in celestibus. super omnem principatum et po-